AD

PUBLICAM EXPLORATIONEM

PROGRESSUUM

QUOS

JOANNEI LUNEBURGENSIS

CLASSIUM OMNIUM DISCIPULI IN HUMANITATIS STUDIIS FECERUNT

DIEBUS I. II. III. M. APRIL. MDCCCXLVI

IN AUDITORIO GYMNASII MAXIMO INSTITUENDAM

ET

AD ORATIONES SCHOLASTICAS

DIE IV. M. APRIL. AB HORA MATUT. IX AUDIENDAS

GYMNASII PATRONOS EPHOROS FAUTORES

DISCIPULORUM PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CONSTANTINUS SCHMALFUSS

JOANNEI DIRECTOR.

INSUNT:

I. Junghansii [illegible] Sophocleae.

II. Annal[illegible] Gymnasii.

LUNEBURGI.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA STERNIANA.

MDCCCXLVI.

Herrn Director Prof. Wunder
in Grimma
hochachtungsvoll vom
Verfasser

Quum saepe veteres critici doctrinam suam et sagacitatem in eo expromerent, ut aut totos veterum scriptorum libros ut confictos a sciolis suppositosque ejicerent, aut singulos locos ut interpolatos reciderent, aut alios ut corruptos librariorum incuria vel inscitia emendarent: negari quidem nequit, multa multos in hoc genere indagasse sagacissime, sanasse peritissime; sed item multi tam intemperanter suo ingenio abusi sunt, ut optimorum scriptorum spoliatores magis et vexatores quam emendatores exstiterint. Fuerunt enim quidam, quum mentis maxime acumine valerent, saepe nimis acuti subtilesque atque mentis trutina expenderunt etiam quae intimo fusa pectore sentiri magis quam intelligi vellent: contra alii, qui pollerent ingenio haberentque celeres animi motus, facile ex suo ingenio effinxerunt aliquid quod haud absurdum esset nec abhorreret a scriptoris mente, quin obiter adspicienti videretur aptius multo et scriptoris ingenio dignius esse, quales sunt multae ingeniosissimorum et prioris et nostrae aetatis hominum conjecturae: fuerunt et sunt denique alii tam praecipites et intemperantes, ut considerandi intentius atque pensitandi laborem defugientes neque interiorem sententiarum cohaerentiam aut necessitatem explorantes quidquid ipsis in mentem venerit cupide statim amplexentur atque cetera omnia, saepe sanissima, ut corrupta, inepta, inficeta exulare imperio et interdicto jubeant. Quam intemperantiam et arrogantiam jam tempus est ut deponamus tandem quum propter studia quae profitemur, tum propter juventutem quam ad humanitatem et temperantiam informamus.

Vindicias superbo titulo quum has subsecivi temporis nugas inscribo, non vereor, ne quis credat velle me totum aliquod opus alio sub nomine quod circumferatur aut abjudicatum divino poetae sit vindicare: tantam ego non suscipio professionem, nec, si susciperem, sustinere possem, homo tanto nec ingenio nec doctrina; sed sunt quaedam scholastici hominis de singulis Sophoclis versibus vel verbis a viris doctis vel addubitatis vel ejectis vel mutatis commentationes, quae ut sunt natae inter subsellia discipulorum ita sibi ne expetunt quidem lectores alios nisi discipulos, ut sint abeuntibus haud ingrata contractae cum sanctissimo poeta familiaritatis recordatio, remanentibus et mox accedentibus haud inutilis fortasse institutio: quidquid praeterea comprobationis vel apud dilectissimos collegas, vel apud scholae patronos, ephoros, fautores invenient, id omne in lucro deputabunt.

Has ut scholastica scriptione minutias ederem, movit me maxime *Wunderi,* viri doctissimi sagacissimique, in factitanda Sophoclis critice audacia: quae si perget ut incepit, habebimus denique, quod ejus pace dixerim, Sophoclem ex suis suorumque amicorum conjecturis confictum. Quae si scriberet ut multa viris doctis, tacitam ferret legentium aut comprobationem aut improbationem: at scribit publicis scholasticae juventutis lectionibus et magistris, quibus quum sit injuncta necessitas interponendi judicii, reputet ipse, quam insuper imponat necessitatem aut jurandi in ipsius verba, quod vetat veritas, aut stultitiae suscipiendi ignominiam (nam ea fere nota afficit adversantem sententiam), aut regerendi in auctorem ipsum, quorum neutrum fert aut pudor praeceptoris aut juventutis verecundia. Itaque obnixe ego cum multis rogatum virum doctissimum velim, ut in iis, quae posthac de Sophoclis fabulis commentetur, redeat ad pristinam moderationem, aut abstineat saltem horrenda illa proscriptionis formula, ne exulare sensim utilissimae ejus editiones ex scholis incipiant, quas nunc cum maximo discentium fructu obtinent prope omnes.

Proscripsit Wunderus ex Oedipo rege v. 8. *ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος* ut *ab interprete aliquo confictum* ex v. 40. *ὦ κράτιστον πᾶσιν Οἰδίπου κάρα.*

Ac primum quidem a quonam confictum interprete? A vetere opinor, nisi vero doctum scholion Laurentianum nec invenustum, quod haec annotat de hoc versu: *πιθανῶς δὲ τὸ ὄνομα τοῦ προλογίζοντος ἐδήλωσεν. ἅμα δὲ καὶ εἰς ἐπιθυμίαν φέρει τὸν θεατὴν τῶν περὶ τοῦ Οἰδίποδος,* esse confectum ab aliquo infimae aetatis sciolo, quam a Didymo vel multo antiquiore aut Aristarcho aut Aristophane Byzantio males. At non fuit veterum illorum mos criticorum atque interpretum novis versibus onerare scriptores suos quam obelis configere suspecta potius, ut apparet ex scholio Laur. ad Oed. Col. v. 237 et ex Didymi annotatione ad Ant. v. 45. Quidni igitur esse illatum ab histrione statuamus? Quod quidem esse factum in Euripide et potuisse fieri in aliis quoque, postquam *Valckenarius* et *Boeckhius* demonstrarunt, incredibile est, quantum quidam hoc in genere suae vel sagacitati vel licentiae indulserint. At enimvero quum Didymus hoc de Euripide saepius affirmarit, ad Sophoclem illud nunquam annotavit: ut invitarunt argutae et sententiosae Euripidis Musae fecunda et praecocia ingenia, ut facerent virium suarum periculum, contra decentes Sophoclis Gratiae a sancto suo corpore procul hominum protervorum intemperantiam habuerunt. Quocirca quum hac in re fuerimus sagaces et suspicaces nimium diu, jam simus aliquamdiu vel creduli vel tardi potius, h. e. certis incorruptisque testimoniis plus tribuamus quam nostris opinionibus aut suspicionibus. Post hanc universam disputationem ut jam ipsa Wunderi argumenta partim a Sophoclis consuetudine in prologis non quemquam suum ipsum profitentem nomen inducentis, partim a venusto et decoro petita excutiamus: si prologi praeter cetera hae maxime partes sunt, spectantibus ut a principio statim fabulae et locus et personae, quae primae prodeunt, notae sint; quamquam in nostra fabula qui primi spectarent, ut cetera taceam, partim ex scenae institutione et exornatione, partim ex histrionis

vestitu et ornatu in tanta personarum paucitate veterisque tragoediae simplicitate, ex multis aliis, quae quum essent more recepta et quasi tralatitia promptiorem afferrent animis conjecturam, denique ex supplicantium compellatione ipsa esse regem Thebanorum colligere potuerunt; aliqua tamen usque ad Oedipi per sacerdotem compellationem haerebat dubitatio: quam ut eximeret animis in re tam gravi, unde non brevem aliquam voluptatem quaererent spectantes, in fine orationis ad supplices cunctos atque in transitu ad sacerdotem ipso nomen intulit Oedipi.

Atque haec fuit poetae necessitas. At fuit altera non minor Oedipo ipsi. Audiverat enim per nuncios assidere ad ipsius aras magnam turbam supplicantium senum, parvulorum, juvenum: haud ignorat funestam calamitatem, qua jamdiu conflictatur urbs: prodit: videt miserabilem turbam, videt adolere aras omnes, audit per totam urbem deorum invocationes, lamentationes: reminiscitur prioris calamitatis, quam sua prudentia ab urbe amoverit, quo beneficio peregrinus et advena famae celebritatem, civitatem, regnum adeptus sit: sentit majore etiam quam olim civitatem nunc malo affligi, sentit ad se esse omnium mentes, manus, preces conversas, a se omnes opem et auxilium efflagitare, suum esse nomen carum omnibus, Oedipum in ore ferri omnium: in hac est cogitatione tota mente atque animo defixus, haec ei fuit prodeundi caussa atque hanc cogitationem non dubitat ferre palam hac professione:

ἀγὼ δικαιῶν μὴ παρ' ἀγγέλων, τέκνα,
ἄλλων ἀκούειν, αὐτὸς ὧδ' ἐλήλυθα
ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος.

Quae quidem professio tantum abest a vana jactatione, ut sit hominis vere nobilis atque generosi in parta semel fama non segniter acquiescentis nec nova socordia veterem gloriam corrumpentis et perdentis, sed in hac ipsa famae celebritate honestos stimulos sentientis in hac nova miseria novis beneficiis de civibus suis promerendi. Sic ambo et Oedipus et poeta quum necessitati satis-

fecerint, vindicati mihi simul ab importunitate et insolentia videntur. Fuisse autem familiarem etiam Thebanis eam Oedipi appellationem, demonstrare chorus versu 1207 videtur, ubi miserum sic appellat:

ἰὼ κλεινὸν Οἰδίπου κάρα.

Atque haec quidem sciens de se Oedipus: jam videamus, quid dixerit nesciens. Nimirum est mentis nostrae ea caecitas atque sapiens insipientia, ut, quando maxime videmur sapere, saepe sciamus nihil ac prorsus caecutiamus, contra verum et videamus et dicamus nescientes saepe somniantesque quasi. Quae menti nostrae circumfusa caligo quum maxime nos admoneat naturae nostrae imbecillitatis in tanta mentis humanae excellentia maximamque commoveat rerum humanarum commiserationem animique affectionem vere tragicam lateque pateat in omni tragoedia; tum maxime in nostram valet, in qua summo cum horrore repraesentatur haec mentis humanae caecitas. Hoc volo: quum dicit prodire se inclytum omnibus dictum Oedipum, nescit hoc suum dictum quam praeterea sit habiturum veritatem, nescit praedicere se suam ipsum tristissimam conditionem, nescit se dispulsis tandem mentis tenebris detectoque ingenti errore obscuri fati horrendo exitu majorem etiam apud omnes mortales celebritatem consecuturum ut antea summa felicitate sic tum summa miseria, qua tristissima rerum omnium conversione gravissime commotus in fine fabulae exclamat chorus:

ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ᾔδη καὶ κράτιστος ἦν ἀνήρ,
ὅς τις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων,
εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθεν.

Quem rerum eventum quum nossent ex Oedipi fabulis Athenienses, facile interpretabantur sibi atque praesentiebant non sine commiseratione quadam attenti ad talia atque sagaces Pericleae aetatis homines jam tum, quum infelicissimus rex ominosa illa verba proferebat. Atque talia haud invenuste quaesivisse in hac

fabula Sophoclem, quum multa tum ille demonstrat locus, quo se Oedipus cum acerba Tiresiae irrisione nominat

ὁ μηδὲν εἰδὼς Οἰδίπους,

ut est revera rerum omnium ignorantissimus.

Tot et tanta quum huic versui patrocinentur, illa de Sophoclis consuetudine quaestio poterit paucis confici. Etenim quum non deceat poetam suspensos tenere animos de iis quae necesse est sciri, quomodo id optime efficiat, hoc unice providendum poetae est: aliam praeter hanc, quod deceat et necesse sit, nemo prudens sibi scribet legem. Jam si Sophoclis septem fabularum, quae aetatem tulerunt, prologos considerabimus, reperiemns alium aliter sed egregie omnes sic esse institutos, ut in nullo praeterquam in Oedipo Coloneo qui primi prodeunt suum ipsi nomen profiteantur, sed indicent se indicenturve ab aliis; verum si aliter fert fabulae *οἰκονομία,* praesertim si non erit nuda nominis professio sic: hic ego sum: non intelligo quid habeat invenusti vel indecori.

Alius locus, quem misere decurtavit et mutilavit vir sagacissimus, est gravissima illa narratio a v. 771 — 833, qua quum se Oedipus ipse reducat in atrocissimi facinoris recordationem, non leviter transit et perstringit tantummodo unamquamque rem, sed ut retinetur ejus animus vehementissimeque commovetur et concutitur cujusque rei diritate, sic immoratur etiam oratione atque omnem ejus vim et pondera expromit et transfert in Jocastae et chori animos. Sunt luculenta exempla haec: v. 779 — 80.

ἀνὴρ γὰρ ἐν δείπνοις μ' ὑπερπλησθεὶς μέθης
καλεῖ παρ' οἴνῳ πλαστὸς ὡς εἴην πατρί

et v. 789 — 90.

ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια,
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προὔφάνη λέγων

et v. 807 — 09.

καί μ' ὁ πρέσβυς ὡς ὁρᾷ
ὄχου παραστείχοντα τηρήσας μέσον
κάρα διπλοῖς κέντροισί μου καθίκετο

multaque alia. In quibus locis omnibus ut postulat res ipsa plenam orationis ubertatem ad rem oculis sensibusque subjiciendam, sic brevitate poeta suo ipse consilio nervos incideret. Quod non sensisse vir doctissimus videtur itaque alios in hac narratione locos decurtandos alios esse mutandos censuit.

Sic v. 779 — 80 in coenae commemoratione

ἀνὴρ γὰρ ἐν δείπνοις μ' ὑπερπλησθεὶς μέθης
καλεῖ παρ' οἴνῳ πλαστὸς ὡς εἴην πατρί

post verba ἐν δείπνοις suspectum ei videtur παρ' οἴνῳ ut *invectum ab aliquo interprete expulso verbo genuino.* Quod utut licere debebit opinari, modo ne expulsis genuinis tua invehas, tamen, ut novi viri sagacissimi morem, simulatque ei aliquid in suspicionem venerit mox illud expellentis, jam nunc, ne παροινῶν vel simile aliquid excogitet, occurrendum videtur. Ac mihi quidem, quum sit pars coenae compotatio, tum quando commemoratur aliquid quod inter compotandum factum sit, commemoranda etiam compotatio videtur. Narrat in coena aliquem, qui immodice se mero ingurgitasset, inter potandum se appellasse spurium: commemorat primum in universum *coenam,* deinde *hominem temulentum,* tum *quid fecerit et quando fecerit ille,* nimirum *in vino:* optime omnia procedunt nec video quidquam turbatum aut supervacaneum, praesertim quum in hoc ipso insit causa, cur jactum illud convicium tunc non fuisse tanti sibi faciendum nunc judicet Oedipus.

Dubitaverat *Godofr. Hermannus* in versibus 789 — 90

ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προὐφάνη λέγων
ὡς μητρὶ μὲν χρείη με μιχθῆναι, γένος δ'

num προὐφάνη locum habeat, quum postuletur, *improvisum et inexspectatum*

aliquid praedixisse Apollinem. Quem nollem scrupulum vir summus viro sagacissimo injecisset; nam is ut est pronus ad mutandum correxit ut ipse dicit, me judice corrupit optimam lectionem invecto Hermanniano *προὔφηνεν*, quod ipse interpretatur *effatus est, edidit*, *προὐφάνη* negans significare *repertus est.* At hoc ne voluit quidem poeta. Dicit Oedipus Jocastae: *pungebat me jactum inter vinum de mea origine convicium: itaque clam patre et matre adibam oraculum Delphicum, ut veram originem exquirerem. At deus propter quod veneram nullo me responso dignum duxit, contra alia horrenda, misera et miserabilia* **aperte et propalam** *προὐφάνη λέγων elocutus est.* Potuit utique Oedipus eam notionem transferre aut ad rem et dicere *προφανῆ ἔλεξεν aperta* dixit, aut ad actionem *ἐκ προφανοῦς ἔλεξεν*, vel conjunctim efferre *προὔφηνεν*; sed quae est rei conditio — horrendum admissum scelus, spissa tectum caligine; sed quod dilucescere jamjam incipiat — Oedipi menti densa obducta nox; sed per quam dispicere jamjam horrendum illud non sine occulto quodam horrore incipiat — denique Apollo, cujus sunt potissimae partes in recludendo diro Labdacidarum fato, in eo, quod scire voluit Oedipus, obscuris sese involvens latebris, contra in aliis rebus, disjectis involucris *palam et aperte prodiens in lucem ac nullis nubilis velatam faciem ostendens atque sic fata Jovis recludens.* Haec dei facies atque persona ipsa obversatur Oedipo ob oculos in eoque defixa tota mens est ad ipsumque refert quod minus dei numine impletus Oedipus et poeta minus opinor poetice ad rem actionemque et effati modum retulisset. Post haec si jam correctionem *προὔφηνεν* excutimus interpretamurque ut fecit ipse *effatus est, edidit*, non quidquam lucramur amplius nisi quod exhibet multo fortius, ut opinor, lectio codicum, sin ut Hermannus *improvisum et inexspectatum praedixit*, non videtur utrumque simul et *improvisi* et *praedicendi* notionem comprehendere *προὔφηνεν* posse, sed alterum esse relinquendum, ac me quidem fateor, quum sponte sequor orationis tractum,

προὔφηνεν prius in *temporis* quam in *improvise* deferre cogitationem, quae minus videtur convenire.

Denique si aut structuram verborum aut sensum per se spectamus

ἄλλα δ' ἄθλια
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προὔφηνεν, λέγων,
ὡς μητρὶ μὲν χρείη με μιχθῆναι γένος δ'

post προὔφηνεν misere friget et claudicat λέγων, importune sese inferens et salebrose impediens cursum orationis, insolenter at impotenter sibi ipsi arrogans orationis regimen.

Accedit, quamquam huic rei non nimium volo tribui, quod servato quinta sede jambo melius convenire et inter se et rei numeri videntur. Inducit dirum Apollinis effatum trimetris quinta sede jambum retinentibus

ἄτιμον ἐξέπεμψεν, ἄλλα δ' ἄθλια
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα προὐφάνη λέγων,

tum *tripartitam quasi unius rei atrocitatem* — matris se fore maritum, liberorum suorum fratrem, patris denique interfectorem — effert tribus trimetris convenienter rei gravitati spondeum quinta sede recipientibus

ὡς μητρὶ μὲν χρείη με μιχθῆναι γένος δ'
ἄτλητον ἀνθρώποισι δηλώσοιμ' ὁρᾶν,
φονεὺς δ' ἐσοίμην τὸν φυτεύσαντος πατρός,

quam concinnitatem male turbaret ille in προὔφηνεν spondeus.

Ut inutilem et forsitan ab interprete aliquo additum notat idem vir doctissimus in caedis descriptione ipsa v. 807 — 09.

καί μ' ὁ πρέσβυς ὡς ὁρᾷ
ὄχου παραστείχοντα τηρήσας μέσον
κάρα διπλοῖς κέντροισί μου καθίκετο

versum medium: quod mihi contra videtur. Narraverat Oedipus sibi Delphis venienti in trivio occurrisse in curru stantes caduceatorem et senem, hunc

similem ei, qualem supra Jocasta Laium significasset: ab his se esse violenter exturbatum via, quo facto se iratum plagam inflixisse aurigae. Hactenus poterant videri par pari retulisse ita tamen, ut qui ulcisceretur injuriam, graviorem ipse inferret. Non decesserat Oedipus de via: extemplo dejicit eum auriga, qnod ille plaga rependit; agitaverat ira, exacerbaverat ferocia, efferaverat superbia. Jam decedit Oedipus de curru et de via. Quod ubi animadvertit senex, praetergredienti Oedipo hoc ipsum tempus observans ferrato stimulo medium caput percutit. Accesserat malitia. Tum Oedipus inflammatus iracundia jam non par pari retulit, sed scipione tam vehementer senem perculit, ut ille resupinus curru evolveretur. Expunge versum atque omnia illa interibunt, quibus sapientissime poeta Oedipum improba quidem sed justa tamen iracundia esse ad ultimum illud perductum finxit. Accedit, quod ejecto hoc versu misere tollitur mirifica quaedam in rebus congruentibus congruentia orationis.

V. 814.

εἰ δὲ τῷ ξένῳ
τούτῳ πρόσηκει Λαΐῳ τι συγγενές

idem vir doctissimus Bothii conjecturam *Λαΐου τι συγγενές,* probatam Elmslejo in praefatione editionis Scholiorum Laurentianorum. Quod quum valeat: *si ad hospitem illum pertinet aliquid ab Laio cognatum vel aliqua Laii cognatio,* non intelligo, cur hoc aptius sit, quam quod offert dativus: *si ad hospitem illum pertinet aliquid cum Laio cognatum vel aliqua cum Laio cognatio.* Nam duplex dativus, dummodo recte struas: *εἰ δὲ τῷ ξένῳ τούτῳ προσήκει σύγγενές τι Λαΐῳ,* tantum abest, ut ullam molestiam creet, ut aequabilitate sua melius respondeat verae rerum rationi, quam mutata genitivi ratio, planissimeque et elegantissime eam quam postulat res offerat sententiam, *si vero hospiti illi intercedit aliqua cum Laio cognatio,*

τίς τοῦδε γ' ἀνδρός ἐστιν ἀθλιώτερος;
τίς ἐχθροδαίμων μᾶλλον ἂν γένοιτ' ἀνήρ;

atque sic sensim ad eos devenimus versus, quorum priorem ut spurium notatum

a Dindorfio uncinis inclusit Wunderus: non recte, ut mihi videtur. Nam sive per se spectabis versum, praeter modicam lectionis varietatem, cujus originem Hermannus ex supplemento metrico, ego ex interpretamento grammatico derivo, neque in verbis, neque in structura, neque in numeris erit ulla offensio; sive ejus cum praecedentibus et subsequentibus cohaerentiam considerabis, omnia videbis procedere planissime neque abundare quidquam quod abesse malis, id quod accuratior loci enarratio abunde declarabit. Oedipus postquam in suspicionem regiae caedis adductus est, non sine magno horrore versat animo et praesentia et futura mala, quae sibi ut extorri regis interfectori, ut scelerato regii matrimonii consorti jamnunc perpetienda sint quaeque maneant ipsum multo atrociora, quando profugus regno neque videre suos neque contingere patrium solum possit, quin matris se nuptiis commaculet et patrem Polybum, qui ipsum procreaverit educaveritque, interficiat. Haec ut suut diversa et conjuncta simul, ita etiam oratione disjungit et conjungit simul interpositis exclamationibus:

ἆρ' ἔφυν κακός;

quo praesentia mala ut minora concludit, et

ἆρ' οὐχὶ πᾶς ἄναγνος;

quo ad futura mnlto atrociora traducit. Jam quaeso, nonne erit consentaneum, res duas atque diversas duabus inducere versibus

τίς τοῦδέ γ' ἀνδρός ἐστιν ἀθλιώτερος;
τίς ἐχθροδαίμων μᾶλλον ἂν γένοιτ' ἀνήρ;

quorum posterior continet exaggerationem prioris, ut sunt futura mala prioribus multo atrociora: explicant simul hi duo versus priora

ἄλλα δ' ἄθλια
καὶ δεινὰ καὶ δύστηνα

ut ipsis respondent in sequentibus alteri

ἆρ' οὐκ ἀπ' ὠμοῦ ταῦτα δαίμονός τις ἂν
κρίνων ἐπ' ἀνδρὶ τῷδ' ἂν ὀρθοίη λόγον;

alteri

ἆρ' οὐκ ἔφυν κακός;

et quae transitum ad sequentia parant;

ἆρ οὐχὶ πᾶς ἄναγνος;

Fuisse autem cognatas Graecis ἀθλίου et ἐχθροδαίμονος notiones, probat, si res eget probatione, Plato in Menone p. 78. a, ubi quaerit Socrates τοὺς δὲ ἀθλίους οὐ κακοδαίμονας; respondet Meno οἶμαι ἔγωγε et pergit Socrate ἔστιν οὖν, ὅστις βούλεται ἄθλιος καὶ κακοδαίμων εἶναι.

Jam ut lectionis varietatem, quae praeter vulgatam exhibet ἀνδρὸς νῦν ἔστ' et hominum doctorum emendationes verbo commemorem, videtur mihi glossema νῦν, quod adscripserat quidam qui pertinere priorem versum ad praesens tempus posteriorem ad futurum haud male intellexisset, expulisse veram lectionem. Jam expunge priorem versum, nec peribunt solum omnes illae ex aequabilitate et concinnitate virtutes, sed erunt omnia manca, imperfecta, salebrosa, obscura, erit nullus ab *ignoto illo*, qui significatur verbis

εἰ δὲ τῷ ξένῳ
τούτῳ προσήκει Λαΐῳ τι σύγγενες

ad Oedipum transitus, nulla Oedipi ne significatio quidem, ut, qui statim subjungat

τίς ἐχθροδαίμων μᾶλλον ἂν γένοιτ' ἀνήρ;

non possit intelligere nisi eundem ξένον. Accedit, quod proscriptum versum respicere videtur chorus v. 1203.

τανῦν δ' ἀκούειν τίς ἀθλιώτερος;

Ultimus gravissimae narrationis locus, in quo sanissimae integerrimaeque parti, ut mihi videtur, crudele scalpellum adhibuit, est versus 827

ἢ γάμοις με δεῖ
μητρὸς ζυγῆναι, καὶ πατέρα κατακτανεῖν
Πόλυβον, ὃς ἐξέφυσε κἀξέθρεψέ με

ultimum versum uncinis includens, vitiositatis indicia quum in aliis tum in Polybi nominis quadam inconvenientia sibi detexisse visus. In quo vindicando versu videtur mihi a poetae consilio repetendum esse. Nimirum quum poeta sic totam fabulam instituerit explicueritque, ut Oedipus, quae est ejus in acerrimo veri inveniendi studio caecitas, dum certis apertisque vestigiis, spretis vagis fallacibusque, ut ipsi videntur, insistere sibi videtur et vere insistit persequiturque alia velut intentissima oculorum acie, contra alia item apparentia, sed minus aperta et extantia ne attendit quidem quippe perturbato affectibus animo vel in unam tantum rem intento, tantae igitur quum ejus menti obductae tenebrae sint, ut postremus omnium et sentiat et pervideat dirum quod latet facinus: jam est in hoc ἐπεισοδίῳ hoc poetae consilium, ut Jocasta, dum avertere a caedis cogitatione Oedipi animum studet, trivii, in quo facta caedes erat, transfixique pedibus expositique parvuli Laii filii commemoratione, altero in Oedipi, altero in senum chorumdico et auditorum animos eos immittat aculeos recipiatque ipsa ex Oedipi narratione, ut ipsa et auditores jam prope viedeant omnem rei atrocitatem, concipiant bona vota civitatis principes senes, horreat Oedipus quoque, sed illud unum, ne mox interfecisse regem reperiatur et polluere nefariis manibus regium matrimonium cogaturque exulare regno et vitare terram patriam, nisi velit incestas cum matre inire nuptias et interficere patrem Polybum, qui ipsum procreaverit et educaverit. Tam densa igitur quum Oedipi animo de summa re, de vera patria, de vero patre et matre, de jam perpetrato diro parricidio, de jam initis incestis cum matre nuptiis offusa caligo sit, ut esse aliam patriam atque Corinthum, aliam matrem ac Meropam, alium patrem ac Polybum ne suspicetur quidem et tamen de praeteritis tam dira et ominosa proferat dicta nesciens, ut auditores horrenda omnia concipiant animis; sapienter poeta, praeterquam quod necessario facit proferentem quod sentit Oedipum, discriminatis in momento tam gravi singulorum affectibus detectaque Oedipi caecitate animi providit, ne ex ominosis ejus dictis et nostri animi praesagio jam

plus eum videre credamus, quam vere videt. Denique nec in verbis, nec in numeris, neque in parva lectionis varietate video ullum indicium, unde esse a nasuto aliquo confictum versum suspicer; sententia autem continet haud inconvenientem horrendae rei exaggerationem, si quis eum, a quo procreatus educatusque sit, interficiat, praesertim quum neque per se absurdum videatur, si in patris cogitatione paullo diutius quam in matre moretur Oedipus et quo sit longius producta antecedens ῥῆσις eo sit aptior exaggerata et per duos versus perducta de summa talis hominis infelicitate sententia.

Simillimus est versus 957 in Electra fabula addubitatus a viro doctissimo ut ab histrione additus, in quo vindicando post ea quae supra de histrionum interpolationibus disputavi, esse brevior possim: verum quum vir doctissimus nullas suspicionis suae caussas attulerit, iterum tentanda mihi legentium patientia est. Quare si versum non modo non aut supervacaneum, aut molestum, aut invenustum, sed esse et poetae consilio et Electrae affectui convenientissimum demonstravero, et meo munere defunctus ero, et fortasse etiam dubitanti scrupulum exemero. Igitur Electra audito fratris miserabili exitu postquam ingentem dolorem in mollissimos questus lacrymasque effudit, extincto destinato a diis paternae caedis ultore ingens mulier, nimirum in accurrente sorore fidam ut putavit nacta sociam, ipsa in se recipit horrendum ultionis ministerium idque sorori aperit. Jam vide vim naturae et admirare poetae judicium. Exsecraremur tantam in filia atque adeo in muliere crudelitatem, si ultricem manum se matri ipsi illaturam profiteretur. Hinc jam nulla matris mentio: derivatur omnis ut in animo Electrae sic in sermone ultio in invisum patris interfectorem matrimoniique et regni raptorem Aegisthum. Quem quamquam etiam non nominato nomine ex verbis *τὸν αὐτόχειρα* intelligebat utcunque soror, tamen, quum caedis perfectrix Clytaemnestra, Aegisthus administer tantum haberetur, residere aliquid dubitationis in animo Chrysothemidis poterat, quod quantum officere Electrae consilio in re ceteroquin atroci debuerit, sponte apparet. Itaque quum celandi nulla, aperte

profitendi non una caussa esset, cur id, quod deliberatum constitutumque in animo Electrae fuit, contra suum et morem et propositum tegat poeta intempestiva reticentia? Atque de dictionis ratione et necessitate fortasse satis: jam vim expende. Electra postquam extincto, ut putabat, fratre, in quo uno omnem exigendae poenae spem reposuisset, se jam esse solas relictas, exposuit, aperit suspensae sorori longa ultra duos versus producta dictione consilium suum, gravissima verba ad ultimum reservans. Jam finem impone dictioni verbo *κτανεῖν*: obscurabitur illud et evanescet prope: produc intenta paullulum voce in sequentem versum et subsiste post verbum *Αἴγισθον*: non huic solum voci necessariam vim tribues, sed resultabit etiam in priorem. Atque hac pensandae atque ponderandae orationis facultate in liberiore utique verborum collocatione saepenumero non sine magna vi veteres usos esse inde a patre Homero usque ad oratorum principes Demosthenem et Ciceronem, innumerabiles probant et apud poetas quidem incidentes post versuum initia periodorum exitus, quae si pronunciabuntur ab histrione, qui callebit *ἀπνευστὶ μακρὰν ἀποτεῖναι ῥῆσιν*, ut ait Plato de rep. X. p. 506. d, gravissime ferire audientium et aures et animos existimabis. Cujus rei pro multis duo appono exempla, unum ex Ciceronis oratione pro Roscio Amerino §. 6. *Bona patris hujusce Sex. Roscii, quae sunt sexagies, quae de viro fortissimo et clarissimo, L. Sulla, quem honoris caussa nomino, duobus milibus nummum sese dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis L. Cornelius Chrysogonus:* alterum ex Homeri Iliade I. v. 12,

οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα
Ἀτρείδης. ὁ γὰρ ἦλθε . . .

Jam si reliquum versum suspectum spectabis, nullum deprehendes suturae vestigium neque in verbis neque in sententia. Est enim tam atrox quod exprompsit Electra consilium, ut deceat sane affirmare expromendi necessitatem: necessitatem autem imponit sororis levitas et incuria. Sic arctissime omnia

cohaerent, sic alterum altero firmatur. Expunge versum: cohaerebit etiam quae subjungitur dictio; sed adhaerescet arctius uni tantum sententiae, quae erit elicienda ex voce *κατοκνήσεις*: interpone et habebis firmamentum et prioris et consequentis sententiae. In verbis autem quod offendat nihil reperies: nam recurrens intra decem versus eadem versus sede *Αἰγίσθου* nomen si te male habeat, compares quaeso, ne e longinquo petas, repetitum deinceps *τεύξει.* Illud autem critices genus, quo ex glossematis esse nova conficta putant, quod nuper quidam magna calliditate, at invita Minerva exercere in Tacito inceperunt, recte explosum a prudentioribus est.

Jam redeo ad Oedipum regem. Versum 376 quum omnes libri manu scripti et typis expressi scholiastaeque, etiam Laurentianus, sic exhibeant

οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ

primus Brunckius mutata prorsus ratione sic scripsit

οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ' ἐμοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ

Quam conjecturam quum consequentes editores prope omnes receperint, unus Hermannus, vir summus, argumentis stabilivit. Ea ut non conor refellere, volui tamen periculum facere, codicum lectioni num quod firmamentum parari queat.

Quum secundi *ἐπεισοδίου* post diram Oedipi exsecrationem hic sit finis, ut Oedipus, dum venerabilem Jovis vatem Tiresiam invitum cogit detestabile quod latet facinus retegere, omnes animi sui recessus recludat appareatque, qui fuisset adhuc generosissimus et moderatissimus vir, in hoc discrimine, ut fere solent optimi quique, sic praeceps in iram, sic fidens suae sic diffidens alienae et sapientiae et probitati, ut sanctissimum sapientissimumque Jovis vatem Tiresiam et virum integerrimum affinem suum Creontem sceleratissime conspirasse inter se ad Laium atque ipsum perdendum insimulet, contra Tiresias omnem diri sceleris expromens et recludens atrocitatem simul audientes occulto horrore oppleat, simul et suam et divinam majestatem ab intemperantissimi hominis

contumelia liberet ac vindicet: is quum hujus ἐπεισοδίου finis sit; jam videamus, quomodo a precibus et summa veneratione pedetentim Oedipus ad summam intemperantiam procedat. Petit Oedipus a Tiresia, ut sibi et deo opituletur in detegendo diro piaculo. Ad quae vates, ut cui perspectum horrendum nefas esset, vehementissime commotus detestansque scientiam scienti exitiosam, obtestatur obsecrantem exprobrantemque Oedipum obscure et occulte primum, mox apertius, ne sua ipse mala exquirat, obstinatus et obfirmatus adversus omnes regis et preces et obtestationes. Hac exasperatus pervicacia increpat Oedipus Tiresiae malitiam, crudelitatem, superbiam, regerente interim maledicta atque sponte proruptura mala omnia asseverante atque ultro iratum incitante vate. Ibi ardentius excandescens Oedipus vatem ipsum accusat caedis regiae oblique ejus caecitatem tangens. Tum indignabundus Tiresias palam effert, Oedipum ut detestabile terrae piaculum illo die suis ipsum exsecrationibus devinctum iri. Qua contumelia incensus rex minis atque contumeliis minitantem et veritatis viribus sese munientem vatem eo denique adigit, ut Oedipum et esse Laii interfectorem et consuescere turpissime cum carissimis sibi aperte edicat. Quo facto rex eo procedit crudelitatis et immanitatis, ut obtusum vatem et auribus et mente et oculis dicat retorquentemque in auctorem et simul miserum appellantem acerbe irridens superbeque contemnens et quasi commiserans dicat ingenti perpetuaque caecitate sua nimirum a diis sic affligi, ut luce qui fruantur gravius plectere miserum illum nec velint nec possint. Ad quae Tiresias majore fidens praesidio respondet

οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ
ἱκανὸς Ἀπόλλων, ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει.

recte dicis, namque mihi fatale non est, perverti atque dejici de potestate mea a te, quum satis potens Apollo sit, cui perficere haec quae ego vaticinor curae est. Ad quae Oedipus, nimirum etiamnum illo captus errore, a Creonte subornatum vatem esse ad ipsum perdendum, quaerit *ista num Creontis an tua inventa sunt?* Ad quae Tiresias *non Creon, sed tute tibi ipse es pernicies.*

Is quum sit naturalis quodammodo et necessarius affectuum progressus, tum videtur crudelis illa Oedipi in irridenda Tiresiae caecitate multo detestabilior superbia esse, quam si contemtim modo diceret *tu vero ingenti captus caecitate neque mihi neque videntibus aliis poteris detrimentum afferre*, quod etsi convenire videtur cum iis quae paullo ante dixit

ὅσον γε χρῄζεις· ὡς μάτην εἰρήσεται.

tamen neque novum quidquam affert neque verum prorsus est, quum caecus fraude ac dolo nocere etiam videntibus possit. Accedit quod *βλάπτειν* quum proprie de debilitatis membris captaque mente dicatur convenire bene in Tiresiam caecitate et oculorum et mentis afflictum videtur, *πεσεῖν* autem ad vatem non minus quam ad regem pertinet. Denique fuisse Tiresiae mentem inter illam altercationem hac maxime confirmatam cogitatione, quod Apollinem potentissimum habuerit patronum, commonstrant et v. 410

οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ·

et v. 447 — 48

εἰπὼν ἄπειμ' ὧν οὕνεκ' ἦλθον, οὐ τὸ σὸν
δείσας πρόςωπον. οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου μ' ὀλεῖς.

qui versus egregie concinunt cum illis

οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν, ἐπεὶ
ἱκανὸς Ἀπόλλων, ᾧ τάδ' ἐκπρᾶξαι μέλει.

Postremo commendant codicum lectionem excipientes sese eaedem literae *μ* et *σ* in verbis *με μοῖρα* et *πρός γε σοῦ πεσεῖν* concitatae orationis velocitatem egregie adjuvantes et accelerantes nec male respondentes literae *τ* in vehementi Oedipi oratione v. 371

τυφλὸς τά τ' ὦτα τόν τε νοῦν τά τ' ὄμματ' εἶ

vim suam exprompentis.

Quae vis sive alliterationis sive assonantiae quum late pateat et in nostro et in aliis scriptoribus; haud absonum fuerit, si pauca eorum quae hac de re commentatus sim, in fine hujus scriptionis proposuero.

Nimirum ut quique maxime pollent ingenio habentque minima in ore et oratione impedimenta quando intimo animo commoventur rei alicujus gravitate, tum existit mirificus ille animorum, sonorum, vocum concentus, qui ut prodit ex intimo animo sonumque induit feritque aurem, sic per intimum maximeque penetrabilem omnium sensuum ferit, commovet, delinit demulcetque animum: quam non dubito vim musicam in oratione appellare, quae, ut in marmore accedit nativo candori mirus quidam afflatus ruboris, ut in picturis lineamentorum circumscriptioni incredibilis colorum venustas, ut in musica harmonia sive modulatio ad illam vim, quae est in assae vocis tractu et flexu numerisque et rhythmis conficitque et consummat demum mirificum illud quod totam mentem animumque omnesque nervos ac sensus nunc horrore nunc summa dulcedine perfundit, sic in oratione et vincta et soluta praeter illam vim, quae verborum notione, numeris, structura ferit maxime *mentem*, ipso vocum sonorumque quodam modulamine ut *animi* maxime exprimit sensus et affectus ita descendit pertinetque ad *animum* maxime. Quae quidem vis, quam patrio sermone dicimus *Assonanz* et *Reim*, quamquam prae rhythmo numerisque praevalet et praeponderat in ea maxime poesi, quae quum genere sit diversa a *Romano* traxit nomen, tamen existit et apparet etiam apud Graecos et Romanos inde ab Homero patre non solum ad exprimendam aliquam sonitus strepitusque similitudinem, sed etiam quando eminet singularis aliqua animi affectio, quae est similis ei, qua nos recentiores Germanicae christianaeque gentes movemur. Hanc autem vim vocum plus etiam quam in epica valere in tragica poesi existimo et in Attica maxime, ut cui partim ad deorum heroumque imitandam grandiloquentiam, partim ad complenda immensa theatri spatia omnes pulmonum, laterum, oris vires et nervi essent intendendi, ut histrionis vox non ex hominis sed ex aereo tubae Tyrrhenicae ore ferire aures audientium videretur. Itaque quum saepe priores maxime Angli soni nescio qua injucunditate offensi bonas lectiones corruperint, videor mihi eadem vocum vi justiore jure uti posse ad codicum lectiones vel

reducendas vel confirmandas: quam medelam quum multis multorum scriptorum locis adhibuerim, exempli caussa propono pauca. In Homeri Iliade I, v. 97 contra Marklandianum *Κῆρας* firmo *χεῖρας*

οὐδ' ὅγε πρὶν λοιμοῖο βαρείας χεῖρας ἀφέξει.

in Aeschyli Prometheo v. 400 expungo vetus glossema *λειβομένα,*

στρ. *Στένω σε τὰς οὐλομένας τύχας, Προμηθεῦ,*
Δακρυσίστακτον δ' ἀπ' ὄσσων
Ῥαδινὸν [λειβομένα] ῥέος παρειὰν
Νοτίοις ἔτεγξα παγαῖς.

quum male turbet ordinem Anacreonteorum et responsionem antistrophicam

ἀντ. *Πρόπασα δ' ἤδη στονόεν λέλακε χώρα,*
Μεγαλοσχήμονά τ' ἀρχαι-
οπρεπῆ στένουσα τὰν σὰν
Ξυνομαιμόνων τε τιμὰν

nec sit difficile intellectu, esse structurae expediendae caussa appositum: in Virgilii Aeneide X. v. 350 — 51 ex Gellio XIII, 20 in priore versu pro *tris* restituo *tres,* quum alterius sono melius *tris* conveniat.

Tres quoque Threicios Boreae de gente suprema
Et tris quos Idas pater et patria Ismara mittit.

in Ciceronis Tusc. quaest. I., §. 38 ex Augustino *sevocare mentem a sensibus* pro *revocare:* ibid. §. 40 ex cod. Regio Bernensique et aliis *rursum rectis lineis* pro *sursum.* ibid. §. 78 ex codd. aliq. Oxoniensibus *etsi nihil nimis oportet confidere* pro *etsi nihil animis oportet confidere,* in quibus *animis* aperta glossa expulit vocem *nimis.*

Corrigenda.

Lege p. 11 l. 1 improvisi, — p. 11 l. 13 *μιχθῆναι*, — p. 11 l. 20 *τοῦ*, — p. 12 l. 16 *προσήκει*, — p. 12 l. 17 insere recepit, — p. 13 l. 20 *ἀθλιώτερος*, — p. 13 l. 19 duobus, — p. 14 l. 7 Socrates, — p. 14 l. 8 *οὖν*, — p. 15 l. 14 (chorum dico), — p. 15 l. 16 videant.

Schulnachrichten.



Bei dem Rückblicke auf das nun vollendete Schuljahr haben wir über mehrfache Veränderungen in dem Lehrercollegium Kunde zu geben, welche zum Theil einen Einfluss auf die Vertheilung der Lectionen geübt haben, ohne jedoch eine wesentliche Abweichung von dem bisher befolgten Lehrplane selbst zu veranlassen.

Kurz nach Ostern 1845 verliess uns, um einem ehrenvollen Rufe an das Gymnasium in Celle als Subconrector zu folgen, der dritte Collaborator und Lehrer der englischen Sprache Ernst Christoph August Ziel, nachdem er von Michaelis 1842 an seine ausgezeichneten Lehrergaben vornehmlich den obern und mittlern Classen des Johanneums gewidmet hatte. Den grössten Theil der durch den Weggang desselben vacant gewordenen Stunden übernahmen bis Michaelis die übrigen Lehrer nach einer angemessenen Vertheilung, bei welcher weder in Rücksicht auf die Lehrgegenstände noch auf die Lehrer die Einheit des Unterrichts eine Störung erlitt. Für die übrigen acht Stunden englischen Unterrichts in Prima und in den beiden ersten Classen der Realschule wurde nach einer halbjährigen provisorischen Übernahme dieser Stunden zu Michaelis 1845 als Lehrer der englischen Sprache angestellt der Bruder des Genannten:

Dr. August Friedrich Christian Ziel. Dieser, geboren den 11. December 1816 in Fallingbostel, besuchte zuerst das Gymnasium in Verden, dann das Gymnasium in Göttingen, studirte daselbst von Michaelis 1836 bis 1839 Theologie, war Lehrer an dem von dem Hauptmann Trott in Salzderhelden gegründeten Institute für junge Engländer von Michaelis 1840 bis Ostern 1842 und ist als Hofmeister und Lehrer der englischen Sprache an der hiesigen Ritteracademie angestellt seit Michaelis 1842.

In die erledigte Collaboratorstelle trat zu Michaelis ein: Dr. Theodor Heinrich Friedrich Hansing, geb. 18. Decbr. 1821 zu Harburg. Derselbe besuchte bis Ostern